



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Delle Vite de' Pontefici

Platina, Bartholomaeus

Venetia, 1666

Vita Bartolomaei Platinae. Et Doctorum Virorum de eius scriptis Iudicia Ex
Bibliotheca Pamphilia Historica, Siue de Historicis, quorum opera extant.
Nicolai Angeli Caferrii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11233

I

V I T A
B A R T O L O M Æ I
P L A T I N Æ.

Et Doctorum Virorum de eius scriptis
Iudicia

EX BIBLIOTHECA PAMPHILIA
HISTORICA,

Siue de Historicis, quorum opera extant.

NICOLAI ANGELI CAFERRI.



ARTHOLOMÆVS, siuè (vt Angelo Politiano, Sixto Senensi, doctisque olim placuit) Barptolomæus, cognomento Platina, qui opere de Vitis Pontificum maximè inclaruit, familia de Saccis fuit: natus in Oppido ditionis Cremonensis Platina (Piadena) ipse in Vita Cononis *Theodoro*, inquit, *in magistratu mortuo, non ita multò post Ioannes Platina in Exarchatu successit, hunc ego crediderim dedisse nomen meo natali solo, quod Platina appellatur, in Agro Cremonensi positum.* Cremonæ Platinam familiam veterem fuisse, & Illustrum, ex Antonij Campij Historia: notum est, referente Lantelmum Platinam (Lantemburgum de Platina vocat Cauitellius) cum Cossa de Fabris, & Vspinello de Summo à Friderico Secundo Imperatore, anno 1219. dum esset apud Spiram, obtinuisse confirmationem concessionis Cremonensibus factæ per Friderici Patrem, & Auum Oppidi Cremæ Insulæ Fulcheriæ (Ghieradadda) aliorumque locorum. A primis annis militiam secutus, serò tandè, & iam prouecta ætate litteras didicit, easq; Florentiæ, in qua inter Auditores vixit Marsilij Ficini doctissimi Platonici cum Clarissimis illius Sæculi Viris, quos memorat Ficinus ep. ad Martinum Vranium, & ubi etiam à Cosmo, & Petro Mediceis, eius virtute, & Comitatu illectis inter familiares receptus est; ipse præfat. in Dialogum de Opt. Ciue ad Laurentium

¹ Ludou. Cauitell. histor. Cremon. pag. 213.

² Anno Christ. 687.

³ Lib. 1.

⁴ Volaterr. An. throp. lib. 21.

⁵ Lib. 11. Ep. 38.

b Me-

Medicetum multum (inquit) Patria tua Florentissima debeo; quae me, licet externum tot annis non modo aluit, verum etiam erudiuit; multum pretereà Auo, ac Patri tuo Viris certè clarissimis, quorum benignitate, & gratia in clientelam familia vestra susceptus sum.

6
Vo'at.l.c.

7
Apud Pap. ep.
38.

Roman venit Pontifice Pio Secundo, cum Fracisco Cardinale Mantuano Ludouici Gonzagæ Mantuæ Marchionis Secundo genito, quem Pius 18. Decembris 1461. inter Purpuratos adlegerat, cum in hanc Curiam nuper venissem (inquit Platina Epistola 7 ad Iac. Card. Pap.) Reuerendissime Pater, mecumq; ut fit, diu ipse cogitarem, quem mihi potissimum ex tot Patribus Cardinalibus Patronum, ac Mecænatem eligerem, tu vnus visus es, &c. in tanto, tamque excelso gradu apud Sanctissimum Patrem, & Pontificem nostrum Pium, cuius nutu, ac diuina Sapientia, quæ sunt in terris reguntur omnia. Papiensis fuit renunciatus Cardinalis cum Gonzaga. Pius Secundus electus XI X. Augusti 1458. non igitur Platina, qui nuper se venisse dicit, ad Urbem aduenerat, quadriennio ante sub Calixto Secundo, quod voluit Iouius in Elogio.

Paruis opibus, & facultatibus ab initio præditum, imò & egenum se fatetur ead. epist. ad Papiensem, ad te, quem apud sanctitatem suam mihi in quauis causa delegi Patronum, Patrem, Tutorem, Principem, ac Dominum supplex accessi, & rerum omnium inops, ut te adiuvante ex hac, qua nunc premor inopia leuarer, & fructum aliquem studiorum meorum, nunc demum mihi capere liceret.

8
Ipse præf. de
falso, & vero
bono ad Sixt.
IV.

9
Anno Christi
1464.
Initio Pontif.
Naucler. gen.
49. pag. 292.

10
In Vita Pauli
II.

Pij tamen beneficentia adiutus officium Abbreviatoris litterarum Apostolicarum, quod vocant de minori Parco, sibi comparauit: Mortuo autem Pio, Paulus Secundus in eius locum successus, siue quod ita pollicitus erat, siue quod Pij decreta, & acta oderat (causam refert Ciacconius, quod eum in permutatione Episcopatus Vicentini cum Patauino acerbè, nimiumque rogando, offendisset) Abbreviatores omnes (erant 70.) quos Pius in ordinem redegerat, tamquam inutiles, & indoctos, ut ipse dicebat exauctorauit, erat illud collegium refertum bonis, ac doctis Viris, inerant diuini, atque humani iuris peritissimi, inerant Poetæ, & Oratores. Tentarunt tamen hi, ad quos res ipsa pertinebat Pontificem è sententia dimouere, atq; ego certè (inquit Platina) 10 qui horum de numero eram rogando etiam, ut causa ipsa Iudicibus publicis (quos Rota Auditores vocant) committeretur: tum ille toruis oculis me aspiciens, ita nos, inquit, ad Iudices reuocas, ac si nescires omnia iura in scrinio pectoris nostri collocata esse?

sic stat sententia, loco cedant omnes, eant quo volunt, nihil eos moror, Pontifex sum, mihiq; licet pro arbitrio animi aliorum acta rescindere, & approbare. Hac verò tam immiti sententia accepta, ut lapidem immobilem volueremus, obuersabamur die ac nocte in foribus aulae, vilissimum etiam quemque seruum rogantes, ut nobis alloqui Pontificem liceret reijciebamur non sine contumelia, tanquam aqua, & igne interdicti, ac prophani. Hac autem diligentia xx. continuis noctibus usi sumus, nil enim ferè nisi noctu agebat, ego verò tanta ignominia excitus, quod mihi ac socijs meis coram non licebat, id agere per litteras institui. Scripsi itaq; Epistolam his fermè verbis; si tibi licuit, in dicta causa, spoliare nos emptione nostra iusta, ac legitima, debet & nobis licere conqueri illatam iniuriam, iniustamque ignominiam. Reiecti à te, ac tam insigni contumelia affecti, dilabemur passim ad reges, ad Principes, eosque adhortabimur, ut tibi concilium indicant, in quo potissimum rationem reddere cogaris, cur nos legitima possessione spoliaueris; hæc Platina, quæ eius verbis retuli, ut clarum sit, quàm proprium compendium mentem obnubilet, vel prudentum. Paulus officia Abbreviatorum extinxerat, integra prius cuilibet Abbreviatori pretij sub Pio persoluti restitutione facta, quod constat ex constitutione Sixti Quarti, *Diuina* bullar. tom. I. constitut. 16. Quid ergo Platina totum repleuit clamoribus Orbem? itaque Respublica Christiana (quod non nisi grauissimis de Causis fieri solet) è varijs Mundi plagis congreganda erat, quò nonnullorum obstrepentium Poetarum, & Oratorum priuatae vtilitati consuleretur? & fanè res ipsa loquitur, iniustam fuisse querimoniam, quod obseruatum Marco Antonio Cucchio Institut. maiorum lib. 2. tit. 3. de conf. n. 48. & Platinæ procacitatem damnat Abrahamus Bzouius annalium. tom. 18. ad annum 1465. n. 21.

Leeta Epistola, Pontifex, ut par erat, excanduit, scriptoremq; inconsultum in carcerem trahi iubet, quo *compedibus*, & *quidem grauissimis reuinctus* (ut ipse dolens refert) *media hyeme sine fococelsa in Turri*, & *ventis omnibus exposita*, coercitus fuit mensibus quatuor, hoc verò tempore, quia vexatio, ut est in adagio, dat intellectum, dialogũ scripsit de falso, & vero bono libris tribus, interlocutoribus Platina, & Rodorico Episcopo Calaguritano Castri Sancti Angeli Præfecto, quos Paulo defuncto, Sixto Quarto dicauit.

Quadrimestre transacto, precibus Card. Mantuani è carcere liberatur. Et hæc prima exstitit Platinæ calamitas, quam



Vossius cum secunda confundit.

Cum Pontifice post hæc in gratiam rediisse videtur. Etenim initio anni 1468. Orationem habuit ad Paulum de pace Italiae componenda, & de bello Turcis indicendo, quæ legitur post vitas Pontificum, & apud Bzou. cod. ann. n. 2. Sed bonis, doctisque semper aduersa rerum series Platinam iterum in altum ærumnarum submersit, à quo vix demum euaderet. Philippi Callimachi, Pomponij Lati, aliorumq; eruditorum creditæ coniurationis in Paulum infimulatus, captus in cædibus Card. Gonzagæ, in carcerem conijcitur, & ad penam vocatur, Sethus Caluissius opere Chronolog. ad ann. 1464. Paulus Secundus, ait, malè tractauit eruditos, Pomponium Latum, & Platinam propter suspiciones in Carcerem coniecit. Sed ipsum Platinam numquam, dedolentem audias. Accingunt se operi carnifices, parantur tormenta, spoliis, laceror, trudor, tamquam grassator, & Latio, sedet Vianestus tanquam alter Minos stratis tapetibus, ac si in nuptijs esset, vel potius in cena Atrei, & Tantalii, neq; hoc cõtentus, dũ penderem miser in ipsis cruciatibus monilia Sangæ Clugiensis tractans, hominem rogabat à qua puella donum amoris habuisset; De amoribus locutus, ad me conuersus instabat, vt seriem coniurationis, vel fabula potius à Callimacho confictæ explicarem, diceremq; quid causæ esset, cur Pomponius, qui tũ Venetijs erat ad me scribens Patrem Sanctissimum in suis litteris appellaret, te, inquit, Pontificem creauerant coniurati omnes? Respondeo me nunquam consiliorum Callimachi participem fuisse, nescire item cur Pomponius me Patrem Sanctissimum appellaret, sciturum ab eo, nam paulò post vincitum affuturum dicebat, De Pontificatu verò non esse cur solliciti essent, quòd vita priuata semper contentus fuisset: tandè verò delinitus aliquantulum tot meis cruciatibus, non tamen fatiatus, deponi me iubet vesperi maiores subiturum, Deferor in cubiculum, semimortuus, & post alia. Trahitur ad Vrhem Pomponius, Venetijs captus, per totam Italiam tanquam alter Iughurta, ducitur in iudicium; Pomponius, Vir simplicis ingenij, neq; coniurationis, neq; alicuius sceleris conscius; rogatus, cur nomina adolescentibus immutaret? vt homo liber erat, quid ad vos, inquit, & Paulum. si mihi feniculi nomen indo, modò id sine dolo & fraude fiat? amore namq; vetustatis antiquorum præclara nomina repetebat, quasi quadam calcaria, quæ nostram iuuentutem emulatione ad virtutem incitarent. De libertate nostra interim nullũ verbum fiebat. Erat tũ Imperator Fridericus III. in Vrbe, voti enim gratia venerat 24. Dec. 1468. cum magno Comitatu, sexcentorum
Equi-

Equitum, ait, Papiens, comment. li. 6. quem Paulus magna cum im-
pensa honorificentissimè suscepit expensis decē, & octo millibus nū-
morum aureorum; ambos ex mole Adriani sub eodem pallio ex Late-
rano redeuntes comitante honorato quoq; inspexi: substituit Paulus in
Ponte donec Imperator ¹² aliquot equites crearet abeunte deinde
Imperatore; decimo mense post captiuitatem nostram Pontifex in ar-
cem veniens, ne tantum tumultū frustra concitasse videretur, multa
nobis obijcit, sed illud potissimum, quod de immortalitate animorum
disputarem, teneremusq; opinionem Platonis, Præterea crimini no-
bis dabat, quòd nimium gentilitatis amatores essemus, cum verò no-
stra de re inter Palatinos Episcopos, & duos fratres esset aliquando
disceptatum, quorum alter erat ordinis Fræncisci, alter Dominici, ve-
nerunt ferè omnes in hanc sententiam, nihil esse in nobis, quod here-
sim saperet. Veteres academicos sequebamur, nouos contemnes,
qui in rebus ipsis nil certi ponebant, Paulus tamen hereticos eos pro-
nunciavit, qui nomen Academiæ vel serio, vel ioco deinceps comme-
morarent. Iuncta est hac ignominia Platoni, ipse se tueatur, volebat
Paulus rebus in omnibus videri acutus, & doctus, volebat item vi-
deri facetus, deridebat ferè omnes, contemnebatq; interrogat tum
Pomponium, hominem irridens quod ei à teneris annis nomen impo-
suerant Parentes? Respondet Pomponius, se binominum fuisse, con-
fusus nouitate rei Paulus, substitit amplius de nomine querere, ad
me autem conuersus, in omnem contumeliam prorupit, omitto, quod
mihi coniurationem, heresim, maiestatis crimen obijceret; quæ om-
nia iam purgata erant, obijciebat etiam ingratitude, quod in me
licet ingratum, officiosus fuisset si spoliare homines emptione sua, in-
cognita causa, si carcere, si tormentis, si ignominia; si calumnia affi-
cere, beneficium est, certè erga me beneficus, & liberalis dici potest
Paulus, & ego ingratus; abiit inde minitabundus, & ob iram, quam
tum conceperat nos vsq; ad integrum annum retinuit: fatigatus pa-
stremò Cardinalium precibus, liberos tandem nos facit; huc vsque
Platina, & hic finis malorum eius, dum detinebatur, librum de
honestâ voluptate, quem antea exarauerat, deferendum curauit
ad Card. Papiens. his litteris Iac. Card. Pap. Barth. Platina. ¹³
Scripti antè captiuitatem meam libellum istum de honestâ volu-
ptate, quem ad amplitudinem tuam mitto, qui capto Patrono: vt
videbis myropolia omnia, & tabernas perreptasse videtur, adeo
est vnctus, & fordidus: si in culina versatus est, non discessit ab in-
genio: cum de obsonijs conficiendis maiore ex parte sit compo-
situs: eo itaq; profectus est, quo vocari ad operam faciendam se
intelligebat, &c. Defert librum ipsum frater meus ad amplitudi-
nem.

12.
Apud. pap. ep.
130.

13.
Apud. ep. 130.

nem tuam, vt cognoscas duos Platinas tuæ magnitudini dedica-
tos esse. De libertate mea quid scribam nescio: adeo incertus sū
quorsum tandem iturus sit ille, qui potitur rerum. Spero, timeo,
crucior, angor, & mihi manum iniicere interdum cogito, vt me
tandem, atq; amicos his curis liberem. Si nocēs, cur non punior ē
Si innocens cur teneor in vinculis? ò me infelicem, qui non cum
Bio sum mortuus, ex illa morte tot mihi mala euenere: feram
ego, feram hanc calamitatem, quamdiū potero. Vbi malis fesso
succumbendum erit, cum tot sint læti Vitæ, Occumbam genero-
sè. Quare amplius in vita esse velim non video.

Cū profligatæ sint littere, & ad Tartara detruse, aiunt in ma-
nu Reuerendissimi D. Vicentini libertatem nostrā esse; si ita est ei
me commendato, & Reuerendissimū D. Mātuanum tardè ince-
dentē impellito; si volent, trades, obfidem, locum circumscribant
relegent, ibo, quò volent. Reuerendissimam Dominationem ve-
stram rogo vt quibuscumq; modis potest libertati meæ caueat, &
denuò alias ad Papiensem dedit, quas quia elegantes refero.

Iac. Cardin. Papien. Barth. Platina. 14

*Tanta est opinio, quam de tua amplitudine concepi, vt ambigam,
imo desperē quidquā salutare inueniri in re mea posse, nisi per te sa-
luberrimum litteratorū omniū sydus fuero adiutus; iactamur vadis
acti vento, & fluctibus: nil prodest tot sequentibus procellis obiecta-
se humeros & caput, Tot scopulos, tot Syrtes, tot Euripos euasisse. Grā-
dem video procellam, iam iam nos fessos, & extrema queq; timentes
obruituram, ni fluctuantibus nobis, & toties in saxa allisis salutife-
ram manum, & à me tamdiū expectatam porrexeris. Inuritur hac
nota ingenijs: inuritur musis, quarum semper Pater, & Patronus es.
habitus, collige nos queso ad te natanees, ac tandem his fluctibus libe-
ra; Vales auctoritate apud Pontificem, cuius ingenium à clementia, &
misericordia non abhorret; Vales apud Card. & reliquos huius Aulæ
Præsules; Ora quos decet, adhortare quos oportet, vt erga nos miseros,
atq; omnium, qui viuunt infortunatiore, clementia, & misericordia
vtantur; intelliges quo in statu simus collocati & quos, ac qua de re
habaturi sumus Iudices. Hos rogato, vt ex bono, & equo indicent, vtq;
voluntatem imperantis mitigent quod vt facias, per Deum te rogo,
& per animam illius, à quo habuisti, virtute tua ita suadente, vt &
velles, & posses calamitosi ad te confugientibus subuenire. De me
quidquid pollicebare, & Pontifici, & alijs id ego perpetuò, & con-
stanter seruabo. Commendare me Reuerendissimo D. Vicentino non
erit à re mea alienum. Vinculis exsolutus, Pontificis permissu, re-
ditum spondente Bessarione Cardinale, secessit ad Balnea Petriolana.*

in agro Senensi valetudinis causa, quam dextro hamero debilitatus in carcere contraxerat, Sextili mense anni 1469. in quibus dum moram trahit, has ab humanissimo Cardinale litteras habuit. Iacobus Card. Pap. Barth. Platina. ¹⁵ Gratulor te Petrioli esse intendentem valetudini, mihi gaudeo, noscenti ex litteris tuis quanti me faciat Princeps Mantuanus, nil de nostra in illum voluntate testatus es, quod non testimonium omne exceperit, sum sine exceptione suus, praeclearam eius domum perfugium mihi constitui temporibus meis omnibus, cum filio Cardinale sic coniuncte vivo ut nihil habeat Roma coniunctius; ago tibi gratias pro officijs tuis, rogans, ut quod fecisti facias sedulo, & in intimo affectu tam praestantis Principis Papiensem tuum penitus condas. Quod expleta lauatione reuisurus sis Urbem, eodemque itinere inspecturus monumenta beneficentissimi Pij Patris nostri, & placet, & letor. Pientia est tibi parata domus, caue alio diuertas, indictum tibi alioquin bellum existima, Vale. Senae die 6. Septemb. 1469.

¹⁵
Apud Pap. ep.
330.

6. Sept. 1469.

Romam regressus, Pauli pollicitationibus allectus, biennio ferè in Vrbe permansit, ex quo Bergomatis, (& qui ab illo de more exscribit) Schedelij Trithemij, & Cāpij error corrigendus, qui Platinam, vsq; ad Pauli mortem fuisse in carcere detentum historiae mandarunt, sed eo 28. Iulij 1471. defuncto, cum nihil obtinuisset, vanas in mortuum sparfit quarelas, quas ridet, & excusat Cāpanus Epistola ad Gentilem Vrbinatem ¹⁶ Multa fiunt Romae, quorum nuncium à te expecto, Iucundissimum erit quidquid à calendis sextilibus scripseris, aut quatrduo prius.

¹⁶
Apud euad. ep.
397.

Scire etiam cupio quantum nunc Platina seuit
Manibus an parcat, abstineatque Pira.
Sin defessa cauo disiecerit ossa sepulchro.
Sparserit inuentos, presserit an pedibus?

Et Platinae quidem quis non ignoscat, si sit iratus? sed parcendum est mortuis, quibus qui male dicit, facile ostendit non audere se certare cum repugnantibus.

Sixtus I V. Paulo suffectus Platinam Vaticanæ Bibliothecæ præfecit anno 1475. Stephanum fratrem annis natum 28. quadriennio post amisit, sepeliuitque in Basilica Liberiana; At anno 1481. ad plures, & ipse excessit pestilentia, ut Bergomas Schedelius, Trithemius, Spondanus testantur, Sixti Quarti, anno decimo, Friderici III. Imperatoris, anno X L I. fuisse tū sexagenariū prodit (post illius eoctaneum Volaterranum,) ¹⁷ Leander Albertus in Gallia transpadana: defunctus est in proprijs ædibus in Colle Quirinali, Teste Sigismundo Fulginate in parentalibus.

¹⁷
Anthuph. J.
21.

A V a



*A Vaticano, Collem transcendis in illum,
Cui nunc Phidiacus nomina prebet equus.
Hic Musis dilecta domus, fundataque culta est
Extremum vite tempus ad vsque tue,
Hic magno ingenio longum transfundis in eum
Acta, & summorum nomina Pontificum.*

18
Iouis in cl.

Moriens legauit Pomponio Læto¹⁸ domum instructissimam cum amānis hortis, & Laureto adiacente, ex quo coronarentur imposterum Poetæ, & Philosophi ad Doctorum Sodalitium admittendi, qui reliquis exhibita suæ Doctrinæ probatione Laureæ digni iudicarentur, quod paulò post multis contigit, & præsertim Marco Antonio Sabellico summo Historico, qui applaudente tota Academia coronatus est. Funus in Exquilias ad Mariæ Maioris Templum perductum est. Flebili carmine, celebrantibus Poetis, sepulchro autem (in quo frater humatus erat) Epitaphium ab alumno Demetrio inscribi iussit.

Platyna est in
Lapide.
Platina in li-
bris.

*Quisquis es, si pius, Platinam,
Et suos ne vexes: angustè
Iacent, & soli volunt esse.*

Quod etiam legitur apud. Opmeerum in Chronograph. & Suuertium in Epitaph. Sed hodie Lapis sepulchralis, non ad tertiam columnam, ut Iouijætate, sed in ipso ingressu Ecclesiæ è Regione Sacelli Burghesiorum, iuxta tumulum Cardinalis S. Crucis in pariete visitur, iam dicta inscriptione, & alia de fratre extincto, quæ hæc est. *Xisti IV. Pont. Max. anno VIII. Stephano, qui vixit annis 27. mens. 9. dies 12. Platyna fratri benemerenti posuit, sibi que, ac Posteris, & in fine.*

ΑΡΚΟΝ ΑΔΕΛΦΕ ΚΑΛΟΣ
ΝΗΚΩΝ ΠΑΛΙΝ ΦΥΤΕΤΑΙ

Scriptit, præter vitas Pontificum, de falso, & vero bono Dialogos tres ad Sixtum Quartum P. O. M. Contra amores Dialogum ad Ludouicum Stellam Mantuanum.

De Vera nobilitate Dialogum cum Episcopo Tranense.
De Optimo Ciue dialogos duos ad Laurentium Medicum.
Panegyricum in Bessarionem Cardinalem Nicenum
Orationem ad Paulum Secundum de pace Italiæ componenda, & de bello Turcis inferendo.

Edidit etiam (ex Trithemio, & Posseuino) de naturis rerū li. i.
Epistolarum ad diuersos. lib. i.

Et de honesta voluptate, & valetudine libros decē ad Bartholo-

9
Iomæum Cardinalem Rouerellam, Quos, non post vitas Pontificum sub Sixto I V. (vt non absque loco miratur Vossius poetico Sannazarij lusu deceptus) verum sexennio antè, secunda nondum captiuitate sequuta sub Paulo II. conscripsit, quod ex relatis litteris ad Cardinalem Papiensem satis liquet, & visum Iacobo Philippo lib. 15. ac Schedelio in Chronico Norimbergense. In his autem cum obsonia, & popinam pertractet illum Actius Syncerus Epigrammate perstrinxit.

De Barth. Platina.

Ingenia, & mores, Vitasque, obitusque notasse

Pontificum arguta lex fuit historia.

Tu tamen hinc lauta tractas pulmenta culina

Hoc (Platina) est ipsos pascere Pontificos.

Quod Michaeli Marullo Græco Poetæ haud rectè adscribit Petrus Opmeerus in opere Chronographico. pag. 725. edit. 1627.

Memoriae etiam hominum sui temporis propagasse historiã, eamque commemorare Tristanum Calcum in gestis Mediolanensium, solus (quod sciam) aduertit Antonius Campius, ¹⁷ quãuis ipse conijciam eandem illam esse, cum historia rerum Mantuanarum, & familiae Gonzagæ librorum sex, quam, antea octo seculo, Ioannes Oporinus pollicitus erat emittere (vt est apud Simlerum in Bibliotheca Gesneriana) sed numquam prodijt, eamq; aduersari manuscript. apud Serenissimum Mantuæ Ducem Auctor est in apparatu Sacro Antonius Posseuinus. ¹⁸

¹⁷
Lib. 3. hist. Cremon.

¹⁸
In Baptista Platina.

Verum Historia de Vitis Pontificum in primis clarus euasit, neque enim (teste Iouio) vel Dialogi de vero bono, veraque nobilitate, & de optimo Ciue grauitè conscripti vel honestæ voluptatis documenta scitè tradita diu superessent nisi viuacis, historiae lateribus adfixa fælici societate succederent, & communi, quamquam impari, perennis vitæ spiritu fruerentur.

Illas scribere iussu Sixti Quarti aggressus, Si Platinae fides, eidem Sixto dicauit 1473. vt notat Gordonius in opere Chronologico: eodem anno Platina, inquit, antea coniectus in carcerem à Paulo Secundo nunc vitas Pontificum dicat Sixto IV. cum autem in præfatione ad Pontificem, nec de concessa Bibliothecæ Præfectura, nec de collatis mentionem aliquam faciat beneficijs, non abs re videtur deinceps fuisse Bibliothecæ Præpositus, idque anno 1475. quod tradit Angelus Rocca de Biblioth. Vatic. tit. de Præfect. Idibus Iulij, Pontificatus anno I V. stipendio menstruo decem aureorum decreto, additis victu pro se, & tribus

bus famulis, & equo vno; alijsq; apud Franciscum Schottum in Itiner. Ital. ex non editis Panuini de eadem bibliotheca, pag. 287. Edit. Antwerp. 1600.

Varia olim fuerunt de Vitis Pontificum eruditorum iudicia, alijs facilitatem, iam verò etiam, & odium scriptoris in plerisque Pontificibus sugillandis agnoscentibus; alijs eximiam eruditionem, veritatem incorruptam, & procul à mendacio in ea laudantibus; en primi agminis aliquot, initio factò à diligentissimo Panuino, ex quo disce, per quos noster Platina profecerit in tam præclara conscribenda historia.

19
Panuin. scribe
bat Ana. C.
1566.

B. Platina (inquit Panuinius addit. ad vitam Diui Petri) qui ante nonagesimum annum in vrbe vixit ¹⁹ sub Sixto stapa IV. à quo Bibliothecæ Pontificiæ, quam in Vaticano magna librorum copia instructam restituerat, Præfectus fuit, vitas Romanorum Pontificum scribere aggressus Damasum Papam, qui à Petro Apostolo initium faciens opus vsq; ad sua tempora perduxit, & qui eum supplere Auctores est sequutus. Hi fuere Anastasius Monachus, & S. R. E. Bibliothecarius qui à Damaso vsq; ad Nicolaum primum scripsit. Guillelmus alter Apostolicæ Sedis Bibliothecarius, qui ab Adriano I. vsq; ad Alexandrum I. & Pandolphum Pisanum, qui à Greg. V. I. vsq; ad Honorium I. easdè vitas persecuti sunt. Martinus Polonus, ordinis Cisterciensis à Beato Petro incipiens vsq; ad Honorium IV. vitarum opus edidit, ex cuius libro quæ ab Innocentio II. vsq; ad Honorium V. Damaso adiecta fuere excerpta sunt, quæ post eundem Honorium, vsq; ad Urbanum VI. pertinent Theodoricus à Niem Germanus, qui diuturni schismatis tempore vixit, & de eo egregium volumen composuit, & alij quidam collegere; Qui deinceps ab Urbano Sexto vsque ad Martinum V. memoriæ prodiderunt incomperum est. Ex his igitur omnibus Auctoribus; adiuncto fratre Ptolomeo Lucensi Ordinis Prædicatorum, qui sub Bonifacio Octavo Roman. Pontificum res gestas insigni opere conscripsit, Platina quæ de Pontificum actis vsq; ad Eugeniū IV. cōcinnauit, ad verbum ferè stylo paululum elaboratione assumpsit, quibus externa, & prophana ex alijs scriptoribus interponens opus illud, quod de Romanorum Pontificum vitis nūcupauit, constituit. Ab Eugenio deinde, vsq; ad Paulum I. quo in Pontifice operi finem imponit, quæ videre potuit, vel ab ijs, qui viderunt, audiuit monumentis tradidit litterarum, Vir fuit pro temporum conditione, satis diligens, & eruditus:) Hucusque Panuinius, qui deinde in additionibus, quas non contemnendas dicit. Bellum. de Scri-

Scriptor. Eccles. Platinam erroris redarguit: & præsertim de fabula Ioannæ Papissæ, & magia Siluestri secundi, & alibi sæpè: sed præter hæc enumeratos Pontificiæ historiæ Scriptores, aliquorum meminere Volaterranus, & initio Chronologiæ Ecclesiasticæ ipse Panuinius: hi sunt Paulus Diaconus, Guido Rauennas, Sigebertus, Vgo Florianus, Sicardus Præsul Cremonensis, Gothefredus Viterbiensis, Vincentius Bellouacensis, Landolphus Canonicus Carnotensis, Sazomenus Presbiter Pistoriensis, Genuasius Riccobaldus Ferrariensis, S. Antoninus, & qui non postremò recensendus Franciscus Petrarca, vt omittam Amalricum Augerium, qui Pontificū historiam perduxit ad ann. 1316. & opus suum (ait præfatione ad Vrbanum V.) compilasse ex ducentis, & nouem scriptoribus, qui gesta Pontificum tradidissent; Sed ætate Platinæ, & post eum, Iacobus Cardinalis Papiensis, Iacobus Zenus Episcopus Patauinus, Raphael Volaterranus vitas scripsit Sixti IV. Innocentij Octaui, Alexandri Sexti, & Pij Tertij, Paulus Iouius, Panuinius à Sixto Quarto, vsque ad coronationem Pij Quinti 14. Pontificum Vitæ Platinæ adiecit: alios sex Antonius Ceccarellus, Gregorij Magni Ioannes Diaconus; Gregorij Septimi Paulus Berariedensis, Benno Pseudo Cardinalis (si modò verus est Auctor) Iacobus Gretserus Soc. Iesu, qui & nonnullorum Pontificum gesta tuetur in examine mysterij Plesseani, in quo capit. 64. acerrimum, & iuratissimum Pauli Secundi, hostem Platinam appellat. Siluestri Secundi Abrahamus Bzouius; Alexandri Tertij Ioannes Franciscus Lauretanus, Fælix Contelorius; ac religione, & dicendi facultate præstans Hieronymus Petrutius Soc. Iesu, alijque: Gelasij Secundi Constantinus Caietanus, Celestini Quinti Mapheus Vegius, & Paulus Regius; Bonifacij Noni, & Innocentij Octaui Franciscus Maria Vialardus; Pauli Quarti Antonius Caracciolus; Pij Quinti Hieronymus Catena, & Io: Antonius Gabutius; Gregorij Decimiertij Marcus Antonis Ciappius. Plurimum quoque Pontificum Hieronymus Garimbertus, Alexander Giraldinus. Io: Baptista de Caualerijs; Franciscus Ioannettus, Seuerinus Binius, Papius Massonus vsque ad Gregor. XIII. Franciscus Cabrera Moralis ab Alexandro Sexto ad Clementem Octauum, ad cuius annum Octauum deduxit Io: Antonius Petramellarius initium sumens à Paulo IV. Clementis Octaui Io: Stringa. Andreas Victorcellus Leonis Vndecimi, Pauli V. (cuius acta Abrahamus Bzouius, etiam edidit libro de Pontifice Romano) vt & Gregorij Deci-

miquinti, & Urbani Octavi ad annum Septimum, scilicet annū
 1630. Innocentij Decimi mei exstat conatus aliquis, & adum-
 bratio, sed tanti Pontificis gesta doctissimus Carolus Cartha-
 rius Romæ; & post eū Vir clarissimus Eques Hieronymus Bru-
 sonus in supplemento historiam Italiae Venetijs posteritati mā-
 darunt; Et circa annum 1600. Camillus Pamphilius Innocentij
 Decimi Pater, à Sancto Petro initium sumens perduxit ad Cle-
 mentem Quintum, reliquas morte præuentus non absoluit, ex-
 stat opus manuscriptum in Bibliotheca Pamphiliana Principis
 Camilli eius Nepotis, nostri sæculi virtutis, & ingeniorum mæ-
 cenatis: Sed omnium diffusius, & optimè post doctissimum Ec-
 clesiasticorum Annalium Conditorem Alphonsus Ciacconius
 Pontificum, & Cardinalium vitas, & gesta continuauit ad An-
 num 1600. ex tercentis nonaginta pene scriptoribus excerpta
 Ciacconianum opus recensuit, & auxit ad nostra tempora exi-
 mium litterarum decus Augustinus Oldoinius de Soc. Iesu præ-
 ter alios, quos addentes memorant, & Ludouicus Iacobus à S.
 Carolo in bibliotheca Pontificia, de quibus in vita Honuphrij
 nobis sermo erit. Ad Platinam redeo, Genebrardus de eo Chro-
 nograph. lib. 4. in Bonifacio Octauo; dictum illud, intrauit vt
 vulpes, &c. falsò vsurpatū à maleuolis; qui intrauit, vt vulpes, re-
 gnauit vt Leo, mortuus est, vt canis; dictum hoc falsò vsurpatum
 à Maleuolis existimat: Quoniam, inquit, Platina valdè alioqui
 pronus ad notandas Pontificum maculas; nihil tale retulit; non
 dissensit Papius Massonius lib. 6. in vita Pij Secundi: Nos,
 ait, vitam eius breuissimè complexi sumus, sed copiosè, &
 sine odio à Platina exponitur; Omnium verò apertissimè mō-
 net Barbosa post alios, quos sciens prætereo, opere de
 iure Ecclesiastico vniuerso libro primo, de potestat. Roman.
 Pontifici capitul. secundo, numer. 65. cautè, inquit, legen-
 dus Platina, quippè quod aliqua in eo indignationis suspicio
 in Pontificum honorem posset timeri, ex eo, quod tentans
 aliquando à Paulo Secundo ad futurum Concilium appellare,
 in compedes, tetrumque Carcerem coniectus fuerit, Quam
 demùm suspensionem non nisi in Paulo Secundo admittunt Mas-
 sonius in illius vita: *Te verò, ait, in vita Pauli non sequemur,*
Platina iratus enim, & inimico animo scribere videris, remque
historico indignam facere, quem ira, & odio rapi indecorum est,
 & qui à Massonio haussit Ciacconius in eadem vita. Qui tamen
 in operis Uagoge nimis acriter Platinam mordet; vocat
 enim

enim maledicum, & conuiciatorem accerrimum multorum Pō-
tificum; quos sola libidine detrahendi (sunt illius verba) nihil ta-
le commeritos conuictijs infectatur, & petulanter atque procaci-
ter lacerat. Thomas Bozius de signis Ecclesiæ libro decimo no-
no sign. 81. *Pio substitutus est Paulus, in cuius gestis describendis
Platina haberi fides haud potest, quod totus sit in deplorandis ijs,
qua Pontifex in illum statuit.*

Attamen longè diuersa est aliorum Celebrium Scriptorum
sententia, quorum aliquos, seruato ætatis ordine, qua in huma-
nis fuerunt proferā eos verò selectos: *Excellentis ingenij virum,
& qui litteras à situ plurimum vindicauit* appellat Bartholomeus
Manfredus dictus Aristophilus ²⁰ In Bibliothecæ Præfectura
successor elogio in funere: *Ingenio moribusque probatum.* Marfi-
lius Ficinus Epist. ad Martinum Vraniū; ²¹ Iacob. Philipp. Ber-
gomas lib. 6. & 15. *Platina vir clarissimus, & in dicendo facundis-
simus egregium opus, & propè diuinum de vita, & moribus Pontifi-
cum elegantissime confectum Sixto Pontifici obtulit,* ²² *Magni animi
& Constantia Virum, eruditione, & eloquentia nulli inferiorem;*
Schedelius in Chronico ²³ *Virum undecumq; doctissimum, Phi-
losophum, & Rethorem celeberrimum, ingenio subtilem, & vehe-
mentem, eloquio disertum:* Abbas Trithemius, qui anno 1494. li-
brum de scriptoribus Ecclesiasticis absoluit. ²⁴

Vir doctus, & antiquitatis studiosus iudicatur Alexandro ab
Alexandro ²⁵ dierum genialium libr. 3. cap. 9. Volaterrani de eo
iudicium huiusmodi est ²⁶ *Bartholomæus Platina Romam sub Pio
Secundo cum Francisco Gonzaga Cardinale Mantuano venit, dein
de factus Xisti Quarti contubernalis simul, & opibus auctus, ades
in Quirinali sibi parauit, ubi, & decessit sexagenarius, edita Pon-
tificum historia vulgo iam nota. Vir fuit aliquin grauis, & pro-
cul à mendacio, eoque præsertim admiratione dignior, quod iam
prouecta atate, ac Tirocinio posito, quod totum Militia prius tra-
diderat, litteras didicit.* Sabellicus Ennead. decimo, libro se-
ptimo.

*Fuit cum his Bartholomæus Platina, quem nos omnium maximè
in historia Pontificum secuti sumus.*

E. R. in Ciceroniano, *Platina in historia valiturus erat si na-
ctus fuisset argumentum felicitus in optimo ciue, & Panegyrico, non
nihil accedit ad Ciceronis imaginem. sed tanto interuallo, vt hoc co-
gnomen non promereatur eruditorum calculis, aliqui vir doctus fa-
cundus, & ni fallor, bonus.*

Fran-

an. 1540.

an. 1550.

Franciscus Floridus Apologia in calumniatores linguæ Latinæ. *Quam autem laudem non promeritus est in suo genere Baptista Platina Cremonensis, qui cum Summorum Pontificum vitas per-eleganter scripserit, immortalē sibi gloriā peperit.*

27
edit. Louan.
1561. pag. 564

Sed magnificè præ cunctis, ac verè Paulus Iovius in elogijs virorum Illustrium. *Sacrati præsertim ordinis, bonique mortales, plurimum Platinae manibus debent, quando eius ingenio labore ad exoptatam obscuri sæculi, nec ideo perituram lucem Pontificij principatus actionum incorrupta veritas nunciatur, quæ procul eloquentia illecebris uti pura & incorrupta fidem præfert, & ceteris elaboratis operibus auget dignitatem.* 27 Neque silentio prætereundus

28
Annal. post
Baron, ann.
1471. n. 9.

Nicolaus Sanderus, qui libro septimo de visibili Monarchia, Platinam impensè laudat de primatu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem suam exprimentem, Verba Platinæ in vita Bonifacij Tertij, sunt ista. *Omitto quod Petrus Apostolorum Princeps successoribus suis Pontificibus Romanis Regni Cælorum claves, potestatemque à Deo sibi concessam reliquit, non Constantinopoli, sed Romæ; illud tantum dico, multos Principes, maximè verò Constantinum comparandæ synodi, ac dissoluendæ, Confutandi vel confirmandi ea, quæ in Synodis decreta erant, Romanæ Sedi tantummodo concessisse; Merito igitur Sedes Romana ceteris antefertur, cuius integritate, & constantia cunctæ hereses confutatae sunt, & explosæ, non hæc sunt verba infensi animi erga Pontifices. Quid, quod? vel in Pauli vita, licet aliquando vertigine captum fateatur ad Ciacconium addens Victorellus, non in omnibus tamen, subdit, fuisse mendacem, & Henricus Spondanus 28 in illa ad Concilium appellatione minus extusar; in alijs, inquit, Criminibus, ei obiectis, si innocens fuit, ut post, ex eius liberatione constiit se videtur, quis ei non ignoscat si sit iratus, ut de illo scripsit Campanus. At de te vita, & scriptis satis.*

29
edit. 1493. pag.
252.

Cæterum de proprio ipsius nomine, (prænomen Ciacconio, & Vossio) Bartholomæus ne fuerit, an Baptista, magni res est plena negotij, ad eò grauibus se vtrumque tuetur Auctõribus. Baptista dixere Iacobus Philippus Bergomas in supplemento Chronicorum libr. sexto, & decimoquinto. Hartmanus Schedelius. Auctõr Chronici Norimbergensis sectione sexta 29 Floridus Sabinus Apologia aduersus Calumniatores linguæ Latinæ; Ioannes Car. chron. lib. 3. Leander Albertus in Gallia Transpadana; G. Snerus, & Simlerus in Bibliotheca. Ludouicus Cautellius in Annalibus Cremonensibus ad annum 1481. Petrus Opmeerus in

in Chronographia; Iacobus Gaulterus opere eodem. Antonius Possseuinus in apparatu Sacro; Cardin. Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis: ne vel Tarcaniotam in orbis historia; Sansouinum, Bardiumque in Cronologia, Traianum in relationibus cap. 44. aliosque huiusmodi percenseam minorum gentium Scriptores; Io. Baptista legitur apud Theodorum Zuingerum, & Laurentium Beyerlinch in theatro; nisi sit error typographi, in d. & Ioannes, si dijs placet, in Alexandri ab Alexandr. dierum genialium libro tertio, capitul. nono, quem eundem esse cum Platina Auctore vitarum Pontificum haud obscure innuit Carolus Stephanus in Lexico, quoniam de nomine quaestio est, rerum, & verborum Factores non pigeat audire, ni fortasse Platinae alter, praeter Stephanum, fuit Sixti Quarti, Anno Octauo, ut dictum est, defunctum; Rem controuersam, & ancipitem integrā reliquere Iouius in elogijs; Panuinius initio vitarum Pontificum Ioannes Bodinus in methodo historiarum, Genebrardus in Paulo secundo, & alij plerique; At enim Bartholomaeum appellarunt grauiissimi, iidemque Platinae Synchroni auctores, Ficinus, Sabellicus Volaterranus (horum opera ipsis uiuentibus typis tradita, quod etrori minus obnoxia in nomine Viri celebris, eisq; dum uiueret coniunctissimi) ut taceam, quae rem faciunt exploratissimam, Platinae Epistolas ad Iacobum Cardin. Papiensem, huiusque vicissim ad illum, quarum est inscriptio, sine subscriptio. Iacob. Cardin. Papiens. Bartholom. Platina habentur que inter aeditas, opera Iacobi Volaterrani Papiensis, dum vixit, a Secretis Anno 1506. Mediolani apud Alexandrum Minutianum. Epistol. 38. 230. 231. 330. Marsilius Ficinus Florentinus Platinae habuit inter Auditores, vocatque Bartholomaeum Epistol. ad Vranium 38. libr. vndecimo impress. apud Antonium Koberger, Anno 1497. itidemque Marcus Antonius Coccius Sabellicus Enneadis 10. lib. 9. Lutetiae in aedibus Ascensian. prodijt, anno 1505.

Raphael Volaterranus, qui & Raphael Mapheus Vegius, commentar. Vrbanorum libro vigesimo primo, Romae per Ioannem Besiken. 1506.

Iacobus Sannazarius, qui & Actius Syncerus dictus, relato Epigrammate de Barth. Platina Carminum lib. 3.

Ioannes Trithemius de scriptoribus Ecclesiasticis, Edit. typis Vuchelianis Francfurti Anno 1601. ex qua editione refert illum Martinus Zeillerus de Historicis, & Chronolog. part. 1. qui-

30
tomo 4. v. 627
historia.

Platina obiit
anno 1481. æt.
60. mense O-
ctobr. Ficinus
1499. æt. 66.
Sabellic. 18. Apr.
1506. æt. 70.
Volat. mor.
1521. 25. Ian.
æt. 71.
Sanna. I. 1530.
æt. 71. m. 1. die
29. alij 1533.
æt. 61.
Tith. obiit
1519. æt. 46.

quibus si liber, addendi.

Alexander Sculterus in annalibus temporum, edit. anno
1545.

Holstenius
mor. 3. Febr.
1661. Romæ
æt. 66.

Antonius Campius in Historia Cremonensi Cremonæ 1589.
Abrahamus Bucholcerus in Indice Cronol. Degoreus Vwear.
in relectionibus hyemal. Historicis section. 41. Angelus Rocca,
Auctor Romæ insignis Bibliothecæ Angelicæ, cui nuper mo-
riens celebris mem. Lucas Holstenius propriam, rara librorum
supellectile refertam, legavit, tractat. de Bibliotheca Vaticana,
tit. de Præfectis.

Vopisc. in Au-
reljan.

Alphonfus Ciaconius in vita Pauli secundi, qui primus om-
nium, (quos viderim) nomen Bartholomæi elicuit ex epistolis ad
Card. Papiensem, & Ciacconium secuti Henricus Spondanus, ac
Gerardus Io. Vossius: hic de historicis latinis lib. 3. capit. 7. ille in
annalibus post Cardinalem Baronium ad Annum 1471. num. 9.
post omnia Bartholomæus est in Bulla Xisti IV. Idib. Iulij 1475.
qua Platinam perpetuum Custodem, & Bibliothecarium insti-
tuit, relata à Panuinio tract. de Biblioth. Vatic. edito post eius
obitum à Schotto in Itiner. Ital. Antuerp. 1600. pag. 287. de
Platina hætenus; Friuola fortassè cuiusdam videantur aliqua, &
nimis læuia, sed curiositas, ait ille, nihil recusat, & de doctis vi-
ris, deque re litteraria pulchrè meritis præstat omnia nosse:
Nunc verò de Pomponio Læto.